



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Aduers[a]e Fortunæ summatim octo remedia recensentur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

Job. 19. 21.

Dei suscepisse, à quo castigari, est amari. Vnde & alibi ait: *manus Domini tetigit me*; manus utique bona, & benigna etiam in malis, si ea, tanquam à Deo, & non tanquam ab homine, aut diabolo, illata patienter suscipiantur. *Considera mihi S. Job*, ait idem supra laudatus Pater, *qui perfusus erat ulceribus, & concutiebatur omnibus membris, & plenus erat totius corporis sui doloribus, glebas terra vulnorum suorum sanie & humore resoluens, quemadmodum cum se in hoc corpore positus reclinare non posset, requiem mortis inuenerit: ideòq; conscius sui dixit: Mors requies viro. Is igitur in plaga non motus est, nec nutauit sermonis sui lubrico, qui in omnibus illis, non peccauit labijs suis, sicut scriptura testatur: sed magis plaga sua reperit firmamentum, per quam, confirmatus in Christo est. Ergo & Job, & David, quia hic flagellati sunt, firmamentum habuerunt in plaga sua, quia flagellat pater filium, quem recipit. Qui autem hic non flagellantur, ibi non suscipiuntur ut filij. Ideòq; in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ut in perpetuo, cum diabolo flagellentur. Ideò obtinuit, eos superbia, cooperti sunt iniquitate & impietate sua.*

S. Ambros.  
in tract. de  
secunda in-  
terpellat.  
David. c. 4.

V.  
Supra. c. 25.

Primum ergo ac palmarium aduersæ Fortune remedium, (de quo etiam supra dixi) est, si consideres, esse illam à Deo, esse ab amante, esse à patre. At quidquid à patre est, gratum; quidquid ab amante, amabile; quidquid à Deo, optimum est, etsi malum putetur. Alterum remedium est, quia, ex aduersa Fortuna, indicium habetur paternæ curæ, filium castigantis. Malis, plerumque, quia non est illis timor, non est flagellum à Domino. Iustus autem dicit, *Quoniam flagellatus sum, tota die; & optat flagellari, ut recipiatur à Domino, & vult timere Deum, quia timor Domini initium sapientiæ est. Quis non timeat eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam?* Atque hoc tertium est, in aduersis casibus, solatiū, æterna supplicia extinguere posse, præsentis vitæ calamitate. Quis in barathrum illud æternitatis, atque in immania damnatorum tormenta inspiciens, non dicat ad Deum: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas?* Quartum remedium, quia, infortunijs, homines in officio continet Deus, qui prosperitate tumescunt. Nam qui in laboribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur, eos tenet superbia; & qui miserijs non sunt cooperti, cooperti sunt iniquitate, & impietate sua. Quintum remedium, quia quos Deus percutit, è malis bonos facit. Plurimæ res percutiendo fiunt meliores. Læna, dum verberatur, purgatur. Ferrum tunditur, in incude, & quamcu-

S. Ambros.  
in tract. de  
2. interpel-  
lat. Job. c. 4.  
Luc. 12. 5.

Psal. 72. 5.



quameunque vis, formam accipit. Moneta percuntitur, & signatur, valorémque acquirit. Cæditur asinus, & currit. Castigatur homo, & emendatur. Sextum remedium, quia bonorùm virtutem ostendit, & exercet *Fortuna* tristis. Septimum, quia leue & momentaneum est, quidquid nobis accidit, si cum Martyrum, cum Christi, aut etiam cum damnatorum doloribus comparatur. Octauum denique, quia per iratam *Fortunam*, via ad cælum, & præmium in cælo paratur. Hæc talia, qui in *Casibus* subitis atque funestis, apud se expendit, remedia habet omnis calamitatis; facile, que potest, ad exemplum patientissimi illius Stephani (cui maleuolus, igne subiecto, quidquid de agro conuexerat, cum ipso horreo, combussit) magis dolere, ob peccatum affligentis, quàm ob afflictionem. Sed inspiciamus cursim singula remedia enumerata, ab hominibus pijs in praxin reducta.

S. Greg. 1. 4.  
dial. cap. 19.

VI.

Ad primum remedium quod attinet, non agnouit tantùm Dauid, & ante illum Iob, nulla, in hac vita, sine Dei nutu hominibus mala accidere, atque idcirco ea accepta esse oportere; sed alij quoque eadem vfi sunt ratiocinatione. In diuinis litteris, magnis laudibus ornatur Tobias, nam cum esset captus, in diebus *Salmansar* regis *Affyrionũ*, in captiuitate tamen posuit, viam veritatis non deseruit, ita vt omnia, qua habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret. Adduntur miræ laudes aliæ, de eius, in ipsa iuuentute, grauitate morum, de fidei constantia, de exercitijs pietatis; de filij sanctissima educatione, de consolatione captiuis impensa, quibus *monita salutis* dabat, de pecunia mutuò aut etiam in eleemosynas largissimè data. Siquidem Tobias quotidie pergebat, per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, diuidebatq; unicuiq;, prout poterat, de facultatibus suis: esurientes alebat, nudisq; vestimenta prebebat, & mortuis, atq; occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Hæc viri virtus, hæc merita fuere. Quæ merces est secuta? Quòd corpora interfectorum sepelisset, rex *Sennacherib* iussit eum occidi, & tulit omnem substantiam eius. Oppes illi ablatae sunt: vitam fuga & nudus latens seruauit. Ad quid seruauit? vt reuersus, & conuiuio relicto, ad mortuos sepeliendos accurrens in nouam incideret calamitatem. Contigit enim, vt quadam die fatigatus à sepultura, veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercola incidere super oculos eius, fieretq; cæcus. Hanc autem

Tob. 1. 2.

Tob. 2. 10.